Statuta legenda in admissione Baccalaureorum in Medicina, *ad quorum observationem singuli tenentur.*

MEdicinæ studiosus sex annos rem medicam discet, ejus lectionis auditor assiduus; Anatomias duas videat, bis respondeat, semel opponat, antequam Baccalaureus fiat.

Volumus, & admittendos coarctamus, nè quis infra limites hujus universitatis publicè vel privatim tanquam *Practicator* in ista facultate se intromittat, nisi hìc vel alibi in medicina rexerit, vel ad legendum licentiatus fuerit, seu per aliquem hìc in medicina Regentem, ut idoneus, D. Cancellario, seu ejus vices gerenti fuerit præsentatus.

Insuper, ut in istiusmodi admissionibus quisque tam ad legendum quàm ad practicandum per duos terminos infra biennium in ista Universitate se lecturum juret, sub pœna tredecim solidorum & quatuor denariorum communi cistæ infra dictum biennium solvendorum.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti & observabis, nisi aliter per gratiam per Academiam concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Jurabis etiam quòd in conscientia tua agnoscis Regem esse, & juxta verbum Dei esse debere supremum Gubernatorem Ecclesiarum Magnæ Britanniæ & Hiberniæ in omnibus causis tam Ecclesiasticis quàm Civilibus, nec ullum alium Principem, Pontificem, aut Prælatum ullam habere vel habere debere autoritatem infra hæc Regna Magnæ Britanniæ & Hiberniæ, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Statuta legenda in admissione Studiosorum Chirurgiæ *ad* praxin Chirurgiæ, *ad quorum observationem singuli tenentur.*

CHirurgiæ studiosus duas Anatomias faciat, tres ad minimum curationes se fecisse probet, antequam admittatur ad praxin *Chirurgiæ.*

Volumus, & admittendos coarctamus, nè quis infra limites hujus Universitatis publicè vel privatim tanquam *Practicator* in ista facultate se intromittat, nisi hìc vel alibi in medicina rexerit, vel ad legendum licentiatus fuerit, seu per aliquem hìc in medicina Regentem, ut idoneus, D. Cancellario, seu ejus vices gerenti fuerit præsentatus.

Insuper, ut in istiusmodi admissionibus quisque tam ad legendum quàm ad practicandum per duos terminos infra biennium in ista Universitate se lecturum juret, sub pœna viginti solidorum communi cistæ infra dictum biennium solvendorum.

Statuta legenda in admissione Practicantium in Medicina, *ad quorum observationem singuli tenentur.*

VOlumus, & admittendos coarctamus, nè quis infra limites hujus Universitatis publicè vel privatim tanquam *Practicator* in ista facultate se intromittat, nisi hìc vel alibi in medicina rexerit, vel ad legendum licentiatus fuerit, seu per aliquem hìc in medicina Regentem, ut idoneus, D. Cancellario, seu ejus vices gerenti fuerit præsentatus.

Insuper, ut in istiusmodi admissionibus quisque tam ad legendum quàm ad practicandum per duos terminos infra biennium in ista Universitate se lecturum juret, sub pœna viginti solidorum communi cistæ infra dictum biennium solvendorum.

Singuli qui hìc gradum aliquem subituri sunt, astrictos & devinctos esse se intelligant, ut Statuta ac hujus Universitatis probatas consuetudines pro viribus observent, útque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent; quin eos qui sic pacem perturbare noverint, ad Cancellarium seu ejus vices gerentem quamprimùm deferant: quòd denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant, ornéntque.

Quilibet Graduatus, dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, gradui suo competentem, quo inceptionibus illius facultatis cujus est Scholaris interesse poterit.

Postremò, Statutis nostris cautum est, nè quis hìc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices gerenti juraverit, séque sua Privilegia renuntiaturum in quantum Privilegiis & Statutis Universitatis contrariantur: salvâ tamen semper compositione inter Universitatem & Collegium Regale factâ.

Si non sit Graduatus, hæc tria Statuta omittantur.